PRAESTANTIS-
SIMIS VIRIS, LITTERATISSIMISQ; Medicis, Dominis Doctoribns Hispalensibus: Doctor Ioannes â Luna Vega suus Alumnus, eorumdemque votis quondam, Cathedram Primariam rei Medicę regens.
S. P. D.

EXPERIENTIA CONSTAT QVOTIDIANA ID, quod *a* Rhodolphus Agricola scripsit, diversa esse hominum ingenia, & sic se (ut inquit *b* Cicero) res habēt, me mea, te tua delectant: Nemo fere est, cui idem quod alteri placeat, & plerique ab aliis dessidēt, non ut melius, sed aliud sequantur. Cupit enim quisque suum esse, quod probat, & probat quisque maxime, quod suum est: hoc est, quod naturæ suæ, ac sensibus accommodatum. Idem vero Marcus Tullius; Accipe à me catholicum theorema rerum earum, in quibus satis exercitati sumus, Nemo unquam fuit Poeta, nec Orator, qui quemquam se meliorem eo arbitraretur, hoc etiam in malis contingit. Hæc eloquentiæ Romanæ Parens, quæ scripta sint (o toto orbe celeberrimi Medici Hispalenses) ne existimetis mihi esse mirum, fuisse aliquem Medicum, qui ediderit, ac ad me miserit ad finem Octobris anni 6002. Tractatum de Tertianæ exquisitæ acutie, à Donato Antonio jam evulgatum, in quo præter labores Donati nihil est, quod censura non egeat, miror sane approbatorem invenisse, ut prælo committeretur. Tandem ne dicatur ab Hispalensi editum (Hospes enim novus est, cui sę intra suam pellem continuis se satius esset) defuisseque correctorem, huic rumori obviam ire exoptans, & communi honori prospiciens, ad correctionem accingor, non vindictæ, aut amarulentiæ gratia, quoniam nihil de Pestilenti febre respondit, cum methodum ab Academicis observatam (videlicet alienam opinionem destruere, & tenendā totis nervis probare) si non solum non perfecit, sed ne incepit, nec somniavit. Ad quod triginta annorum spatium ei concedo, post quos si non rescripserit, præscripserit. Pro veritatis tutella non ter, sed quoad potero insurgam: quam ob rē Doctorem Lunam vestro clarissimo Lumine Appollineo lucentem, a terra interposita Eclypsin pati, ne feratis. Valete, o & præsidium, & dulce decus meum.

a Lib.2.de invent.dial.c.4.
S.Tus.de Dyonis Tyr.

Silentium.

Cum tacet, haud quicquam differt Sapientibus amens,
Stultitiæ est index linguaque, voxque suæ.
Ergo premat labia, digitoque silentia signet,
Et se se Pharium vertat in Harpocratem.

Altiatus leb. Emb.20.

Prudentiam hominis, aut stultitiam, sermo arguit.

error prim.

Incipit loqui sic, ex Aristot. *Vnum certum, verumque dissolvimus, non sufficere ad scientiam alicujus, quod sciatur universaliter, & confuse, sed oportet scire determinate, &c.*

Quid hoc rei est? Vniversale est *d* objectum intellectus, quā ob rem sola universalia scimus, ac quod de universalibus esset scientia (non vero de corruptibilibus) Plato Ideas posuit, nisi Arist. ei imposuit. Forsitam significare vult, ab universalibus esse incipiendum, ut statim probo: sed ad objectionē, qui scit universaliter, & distincte (ut Barbaris verbis utar) Agit ex Arist. sed sic me gessi primum de natura Intermittentium agens universaliter, postea vero distincte, de hac, videlicet de Tertiana; hanc probavi esse securam, nec periculosam, nec Pestilentem esse posse; ergo ex Aristot. egi: Attendite ergo viri gravissimi, polliceor enim me ostensurum omnia scripta esse mendacia, si quæ vera, sinistre, & adversus Auctorum mentem adducta, & interpretata.

d Ex Artst.

Famulas suus Auctor appellat.

Iure optimo viri graves scripta postulant, scriptis disputant, volat irrevocabile verbum, scripturæ non labuntur, male legit Famulas, quasi Famulę; lecturus. Sunt enim nimiis cognatæ, & principia illius, quarum necessitatem jam probo. *e* Porphirius docet ex Platonis præcepto; in doctrinis à supremo genere esse incipiendum usque ad infimam speciem, ibique sistendum esse; cum igitur Intermittens febris universalior sit, & genus ad Tertianam, quæstio de Intermittentis natura debuit præcedere disputationem de hujus Intermittentis natura. Præceptoris doctrinam sequitur *f* Philosophus in omnibus operibus suis, docetque præcipue, ubi ait; Ab universalioribus esse incipiendum, ut pote notioribus: quod ita esse tribus exemplis probat. Primum est de toto integrali. Secundum de definito. Tertium à toto sensibili. Funiculus hic triplex infringi nō potest. His addere oportet Porphirii *g* Interpretes omnes (quos

2.3.
e De specie.
f 1. Phis. c.1.

A sapien-

ſapientiſsimos fuiſſe viros nemo ignorat) hanc reddidiſſe rationem, ob quam ille prius de genere, quam de ſpecie egerit, quia videlicet notius eſt, ut univerſalius. Secundo, quia ſpecies eſt quoddā totum, genus vero pars ſpeciei, at cognitio totius ex diſtincta cognitione partium dependet. Hos duces omnes aliarum facultatum Profeſſores exacte inſecuntur, nam aliàs a methode ſcriberent, ex ſuperabundanti. Primæ quæſtiunculæ neceſsitatem, & quod non poſsit dari Tertiana periculoſa, ſic probo. Nam darētur duæ contradictoriæ ſimul veræ, & patet; Hæ ſunt duæ contradictoriæ: Omnis febris Intermittens periculo caret: Aliqua febris Intermittens periculo non caret, & dantur ſimul veræ. Particularis ab hoſpite innuitur: univerſalem docuit *b* Hippocrates dicens; Quocumque autem modo intermiſerint, periculum abeſſe ſignificatur: hanc accipit *i* Galenus, ac malignas ad continuas reducit, quæ cum ob continuitatem, tum ob malignitatem ſunt periculoſæ. Sic univerſa Schola Medica defendit, confirmat experientia: Sed contradictoriæ ſimul veræ nō ſunt concedendæ, nam unum oppoſitum dicit virtualiter alterius negationem. Ergo intentum.

h 4. Aph. 24 & aliis in locis.
i In comm.

4 Secundæ vero quæſtiunculæ neceſsitas probatione non indigebat, cum enim ejuſdem deciſio fuerit, morborum acutorum febres eſſe continuas, ille nihil aliud agit, nihil intendit: niſi ut probet, aliquam eſſe ægritudinem acutam abſque febre continua, quorſum inquiro? ſed aliud agit, aliud dicit, neutrum tamen intelligit; Patet ergo, illum contraria affirmare, ac utriuſq; quæſtiunculæ neceſsitatem invitum fateri: ego vero ſic probo Nam morbus acutus genus eſt ad benignum, & malignum: non peſtilentem, & peſtilentem: & cum Acutus habens febrem debeat habere continuam (nō vero intermittentem) hinc fit, ut Peſtilens morbus, qui Acuti ſpecies eſt, ſi habeat febrem continuam, non intermittentem habeat, oportet: & quem admodum ex acutis dantur nonnulli ſine febre, ita & in Peſtilentibus ſine febre dātur, ut in Apologia ad aſſertiones, quam vidit, antequam aborſus, vel informis mola in lucē ederetur. Cum autem ſic inceperit, locum habet carmen Vatis.

k Alciat. Emblem. 151.

k Auſpiciis res cœpta malis, bene cedere neſcit. *etiam febre.*

5 *Quam ſit tua inferentia falſiſsima aperte intueris, ſi cum Gal. ſcias, poſſe dari morbos acutos lethaliſsimos abſq;*

l Ex Quintil. Prudenter dictum fuit; *l* Non contemnenda tanquam parva, ſine quibus ad magna pervenire non poſſumus; dignus eſt æmulus hic, ut ad claſſes Grammatices remittatur, ad ſecundam videlicet, ut informetur pro formationibus, ac diſcat, quod ab Infero exit Illatum, unde Illatio, non Inferentia. Et ſimiliter ne dicat, Collare, quia eſt Collatio, & Collativum, quia conferre debet diſcere dicere. Sed dāda eſt illi venia, Dialecticis enim, & in univerſum iis, qui diſputant, parum uſitati ſunt termini, Conferre, & Illatio; quod vero dicat: quam falſiſsima, ad aliam ſpectat claſſem: Superlativo enim nihil addendum, tollerari tamen non poteſt, quod Intueris, loco Intueberis, dicat: Vnde ad quam remtttam, jā dubito; certus ſum nihilominus, hæc omnia proficiſci ex alio incommodo, quod ſtatim notabo.

6 *Quod probo auctoritate tanti Cardani.*

m Horati⁹. in Arte Poet.

Fortunam Priami *m* cantabo, & nobile bellum.

Probavi multis Hippocratis, & Galeni locis; Acutos febrem habentes neceſſario habituros continuas: aliquot vero ex acutis non habere febrem, Sapientibus, quibus verbum ſat eſt (non ignaris) in memoriam revocavi, *n* Galeni verbis, quæ ſecuntur: Si enim ſit cum febre morbus, neceſſe eſt ipſum febrem habere continuam, talis enim eſt morbus Acutus; Nam verbum, ſi, hoc denotat, ac ſi dicat: aliquē Acutum eſſe ſine ea, ut in eodem loco, & ubique docet; Sed balbus balbum intelligat.

n 5. Aph. 43.

7 *Cardanus lib. Contradict. tract. 4. 17. ex Gal. 3. Prognoſt. 34. dixit: Convulſionem aliquam eſſe ſine febre.*

Hic periclitatur Achiles (quod promiſi dicere) ne ad ludum mittatur, neſcit enim legere, nam Cardanus aliquando, a brevitate quod dicitur, ſcripſit; Sed cur non vidit *o* Gal. dicentē: Itaq; Convulſio accidit etiā ſine febre in forti admodum frigore, & copia humoris crudi, craſsique, &c. Quaſi diceret: aliquādo.

o 3. Prognoſtic. 34.

8 *Duo eliciuntur ex Cardani litteris adverſum te; Vnum, & primum; Qualiter morbi Peſtilentes, cum ſint acuti, poſsint venire ſine febre?*

Reſpondi, dum probarem neceſsitatem ſecundæ quæſtiunculæ, huic objectioni, attamen cum ex Cardano probare intendit (quod jam ego ex Hippocrate, & Galeno) Peſtilentes eſſe morbos acutos, adverſum ſe agit, videlicet quia vult Peſtilentes eſſe Cronicos Quartanas, &c. *acceſsiſſe.*

Secundum, quod te jugulat, quo oſtendit; quæſtionem tuam promittis pro nova, multo ante ad digitos Cardani

9 Divus *p* Hieronymus ait; Mendaces faciunt, ut nec vera dicentibus credatur. Quæſtiō ſcripſi, nova eſt quantum exiſtimo, ad cujus calcem me reperiſſe in Maſſaria, fateor. Acceſsiſſe tamen ad digitos Cardani, transeat, ſed abſit a verbis arrogantia; qnantum iterum exiſtimo, primus ego inter Hiſpanos eam incepi (ut alii doctiores perficiant) typiſque mandavi. *mortalem.*

p In Epiſt.

10 *Vnde ſi bene diviſeres, primo quidem teneres difinire febrem acutam; aliam cum febre; aliam ſine febre; utranque*

Vtinam liceret, Barbariſmos, Soleciſmos, omnimodaque vitia brevi papyro colligere, attingenda tamen nonnulla ut Patroni ſufficientia eluceat, reliqua cum infinita, & puerilia ſint, puero impugnanda relinquam, breviter tamen huic objectioni reſpondeo, de qua poſtea plura, me quod mei muneris fuit largiter præſtitiſſe, explicui Hippocratis tx. *q* maximum, & unicum argumentum ab auctoritate factionis oppoſitæ (quomdo ſatisfit Hippocrati, Ariſtoteli, Galeno, & cuicumque Auctori, aliter multo, ac ignari. Medicinæque Mendici, negantes Auctores) & diviſi morbum in continuum, & intermittentem, eoquemaxime quod probaveram ſatis, ſuperque Peſtilentes eſſe continuas, ſoliſque iis poſſe ineſſe malum morem: nequaquam vero intermittentibus febribus.

q 3. Epid. 13. 64.

11. 12.

13. 14. *Datur Morbus acutus aliquis, qui ſine febre eſt mortalis, ut patet de attonito, ſive Apoplexia; igitur multo magis*

gis

gis si adjungatur illi febris aliqua. Talis est Pestis cum Tertiana exquisita: Igitur datur aliqua intermittens.
r Parturient montes, nascetur ridiculus mus. *r Horatius in*
Si sic format fortissima arguméta, quæ reliqua judicanda sunt, ex hoc se nõ Rethoré (quia ut de famu- *Arte Poe.*
larum similitudine cum domina) male cõparat Apoplexiã, cui supervenit febris, cũ Peste superveniéte.
Tertianæ (quod etiam erroneum ex corruptione hujus, aut illius substantiæ trium nostrum corpus
constituentium, fit febris Pestilens, de qua est sermo, non autem supervenit) nam sic Hippocrates nos 15
docet; Quicumque sane dolore capitis repente capiuntur, & statim muti fiunt, & stertunt in septẽ die- *6. Apho.50.*
bus pereunt, nisi febris apprehenderit; hactenus Hippocrates, quæ autem idem Hippocrates dicit de fe- *2. Ap.26.*
bre superveniente convulsioni ex repletione, nemo ignorat.

Talis est Pestis cum Tertiana exquisita.
Ex argumento vero se non esse Dialecticum indicat, ex puris enim v particularibus nihil sequitur; mi- *v Lib. Syllo-*
nor hæc propositio falsa in se est, præter quam quod secundum admittit maximum in ea vitium, suppo- *gism.*
nendo quod probare tenetur, immo non aliud quã quæstionem, & Thema; ergo consequétia est nulla.

At quod aliqua Intermittens sit acuta, & per consequens lethalis, multis auctoritatibus scatet.
Improbabile est hoc stante Arte Medica, omnesque auctoritates, quas adducit, probant acutiorem, vel 16
acutissimam esse Tertianam Exquisitam, cui cum non arroget periculum x Donatus maximus Galeni *x q. de Tertia-*
Thesaurus, dubito alium posse: sed ad rem; Non sequitur: Est febris acuta, ergo est lethalis; nam Ter- *na.*
tiana est acuta, & non lethalis: supponit iterum, quod negamus.

Doctrina isthæc maxime intentum superbis confirmat. Utrum Tertiana pura, & causon sunt de acutis nõ valde. 17
Divina, & humana lege sancitum est, ut quisque ab injuriosis, & nocentibus tueatur; itaque personæ, &
æstimationis tutella non est superbia, quæ arrogantes, & obscuros adducit: ut quod virtute, vigiliisque
defendere nequeunt, mordicus, & recalcitrando ingenuos, & doctos viros conentur mordere. Constat
quod sepius dixi, Illum agere de acutie Tertianæ, non vero de Pestilenti Tertiana.

In Tertianis, & Quartanis semper remanet febris vestigium, quod certe suo modo ipsas continuat. 18
Omnia in pace, si sunt coutinuæ, poterunt esse Pestilentes, sed ut y Galenus aliud spectãs dicebat: Simul
enim febrem intermittere, atque haud sine febre hominem esse, ex tali accidit commixtione, quo nihil *y 2, Crist. 9.*
minus possibile esse videtur.

Proinde dicebat Galenus; Ad pulsuum exactissimam cognitionem, &c. 19
Ignorat, quod semper operis exordio Auctores difficultatem proponant, non ut a lectione dehortentur,
sed ut lectorem, vel auditorem attentum reddant, sic se cum Chysacrio z Porphirium didiscimus, sic e- *z In Proemio*
tiam nos docet a Galenus; Verum enim est, quod a Platone etiã dicitur: Hac maxime via periculum fie- *Prædicab.*
ri illorum animi, qui quamvis Artem sunt percepturi, si magnam, atque difficilem esse ejus perceptionẽ *a 1. Aphoris.*
ostẽdamus, hęc b Galenus: qui ob difficultatem non dimittẽdum exercitium persuadet; & ut c Comicus: *comm. 1.*
Nihil tam difficile est, quin quærendo investigari possit. *b 2. Cris. 11.*

Tertianam Exquisitam ratione tantum magnitudinis Sympthomatum, morbum esse periculosum. *c Terent.*
Tertium membrum d Caccoetiæ, vel malignitatis sympthomatum, magni, est multo aliud a magnitudi- 20
ne sympthomatum in essentia; de quibus postea, nihil aliud hic intendit, & frequenter quam, ut confun- *d 4. Method.*
dat magna sympthomata cum malignis: magnos mobos cum malignis. *cap. 6.*

Ubi a syncera sit bile omnino lethalem.
Febris Pestilens primo non est intensa, sed mediocris, vel parva. Secundo, intensa caliditas non est ma- 19. 20.
lignitas. Tertio, & mediocriter docti sciunt, non dari Tertianam Exquisitam, quia nec syncerus humor; 21. 22. 23
hæc potius in scholis contemplantur, quam in ægrotantibus videantur. Quarto, quod si enecet, id acci-
dit ob debilitatem virtutis, quæ præsente magna intemperie non potest constare.

Veluti quædam Elementa sint, est manifestum. 24
Galenus e Hippocrtem interpretans ait: Propterea dixit corpora mundi elementalia, nam absolutum e- *e De natu. 5.*
lementum mente potius apprehenditur, quam subsistit. f Aristoteles etiam de Vocatis Elemẽtis se age- *comm. 39.*
re dicit. tantum abest, ut in mixtis syncerí humores reperiantur. *f 1. Phis.*

Igitur si ad apparentiam Tertianæ febres videantur intermittere.
Quidquid in buccam venit, scribit. Illud vestigium, aut signum febris non est Tertiana, nec Quartana, 25
nam vel g Hippocrates ipse dixit; Quibus in febribus quotidie rigores fiunt, quotidie febres solvuntur. *g 4. Aph. 63.*
h Galenus vero sic; Cum bile per omnem corporis habitum mota, rigores accidant, non absque ratione *h In com. G.*
ad infebricitationem pervenit talium febrium intermissio; ac si dixisset: ægrotos quotidie sine febre fie-
ri, remanet tamen quędam dispositio præter naturam in corpore, a qua secundum circuitum febres, & *i 6. Ep. 1. en. 6*
alii casus generantur; hæc i Galenus, ex cujus simili doctrina hæc difficultas patebit, is ergo de renum
passionibus loquens ait; Liberantur ab accessionibus, non ab affectibus, sicut ergo male dicit, qui asserit
extra accessiones: hoc est quietis tempore dolores pati affectibus Rheumaticis obnoxios; Sic similiter *k 6. Aph. cõ.*
qui asserit in horis quietis Tertianarium febrem pati, habet tamen partem illam, quæ putredinis focus *28.*
dicitur intemperie affectam, sicuti renes alter. Idem vero k Galenus de Podagricis loquens omnem di-
rimit litem, dicens. Disces autem aperte, quod imbecillitas partis non sit sufficiens ad generandam pas- *Horat. in a. p.*
sionem ex intermedio tempore accessionum, in quo nulla infestantur, videlicet passione. l Poeta dixit
optime. Scribendi recte, sapere est principium, & fons. 26. 27.

Petrafitanus, & Lupejus non omnes intermittentes esse salutiferas. *3. Prog. 2. &.*
Immo m gravissimus ille vir Hispaniæ decus, nostratiumque Hippocrati, ac Galeno addictus magis, e *32. comm.*

 diame-

diametro opponitur illum citanti, dum dicat; Stat febrem acutam sæpe magnam esse,& non malignam, vel e converso malignam, & nō magnam. Adductisque in confirmationem Galeni locis insuper ait, ex quibus colligitur, hujusmodi febres omnes absque periculo, sed magnitudine dumtaxat existere acutas, in quo casu Tertiana Exquisita merito reponi debet, hæc namque ob solam magnitudinem citra periculum aliquod morbus acutus dicenda est, quorsum ergo mendose allegat Petrafitanum. Secundo respondeo, posse illud dici propter febres illas subintrantes appellatas, quæ reducuntur ad continuas. Sed delicatus miles hic est.

28.29. *Sequitur evidenter, calorem naturalem non redire ad pristinum statum in Tertianariis.*

n *De calore prætern.* n Fallopius asserit, duplicem esse calorem in paroxismo Tertianæ: unus est in bile putrescēte, & hic est Putredinalis: est etiam calor naturalis adauctus supra gradum, & ratione hujus gradus dicitur Præternaturam; hæc Fallopius. Cur hic non concoquet? nonne Picrocholi concoquunt,& sanguificant? Vivere possent Hectici per multorum mensium spatium, nisi nutrirentur? nonne omnium consistētium calor acris, ac mordax redditur. Empyreuma, seu Ignitio convalescentium non impedit coctioni, his accedunt, quæ o Vidovidius loquens de calore febrili (& multi alii sic) Non tamen necesse est: omnes actiones lædat, sæpe enim restituit ablatas, perficit imminutas, corrigit depravatas.

o 1.*Febr.c.*2.

30 *Impura corpora quanto magis nutries, tanto magis lædes.*

De convalescentibus est sermo,quibus alimentum, cujus est substantiam nostram augere, concedit Ars p nostra; at febricitantibus medicamentum, quod naturam nostram alterat, sicque corrigendo intemperiē vincit dicēte Hippocrate: Victus humidus febricitātibus omnibus cōvenit; Alimētum vero mutatur.

p 1.*simp.c.* 1.
q 1.*Aph.*16.

31 *Igitur si ex Galeno in sua medendi methodo: Non ex his, quæ aßumimus.*

Commune est hoc præceptum febricitantibus, & non febricitantibus,sanis, & ægris: nam alimentum dupliciter lædit r quantitate, & qualitate, colligit tamen hinc, & inde, quæ potest, ut chartam impleat, & sicut Psytacus loquitur.

r 2.*Aph.*17.

32 *Nam tunc melius,& salubrius est, posse cibos offerre, quam de facto propinare.*

O virum præteritorum nulli æquiparandum, nullus siquidem illorum id medium assecuturus est, quo videlicet Medici labore, & ægri dolore liberentur, e vivisque discedant. Ducimur s prudentiæ consilio, ut quimus,quando ut volumus, non licet. Sed Galenus t noster præfert læsionē morti,& pulchre v idem ait; Si igitur morbosam affectionem nullo pacto offenderet alimonia, nos virtuti soli attēdentes ægros ut sanos aleremus.

s *Terentius.*
t 10.*met.c.*6.
v 1.*acut.* 44.

33 *Tunc magis, & minus non mutant speciem.*

Non quilibet calor est febris, ut ex ejus n definitione colligitur, aliàs calor iræ,&c. Cum non posit lædere operationes, non erit morbus.

34 *In ratione mali perpaucum sufficit ad dextruēdum maximum ex Aristotele.*

Immo ex x Aristotele didiscimus, quod a proportione minoris inæqualitatis non fit actio; quod ad victoriam intelligendum est.

x *Arist.principium.*

Immo est posibile in ipso impetu, quo cor petit ita perforare, & penetrare ejus substantiam.

55 Novum mihi est, quod cor posit perforare bilis, possuntque biliosi id timere, quia forsam illis nō est ita densum triplici villorum sorte z compositum. Sed ad rem; Ex motu humorum initio accesionum infero, in Tertiana non esse venenum; nā sic prima accesione interimeret: nā aliàs daremus agens, & patiēs a aproximata, recteq; disposita, nō sequi actionē; hoc non est cōcedēdum, quod optime Ioubertus.

z *Ex Gale. de usu part.*
a *Arist.*

36 *Disponit una, ut altera enecet.*

Respondeo ita, nisi dicendum sit magis, esse dispositos spiritus veneno, sicut stuppa igni,cumque venenificus humor b accederet ad cor,& apprehēderet,apprendensq; semel,vel enecaret, vel statim faceret natura crisim, vel expulsionem in Bubonem: denique more,& ritu continuæ finiretur.

b *Acut.*46.

37 *Non mirum isthæc cor ipsum, sive aliquod præcipuum potentia ipsum destruat.*

Quin potius maximum mirum, cum partes principes c ab intio natura majori robore dotavit, nec enim omnium æquale esse debuit, sicuti in bene ordinata Republica est exemplum.

c *Demor.c.*6.

38.39. *At de turgentibus nihil timetur,nisi decubitus.*

Turgent humores in valde acutis, d Hippocrate teste, ac proinde intra venas, quod nec latuit e Peredā dicentem; Neque cum Galenus dicit primo de Arte Curativa ad Glauconem: hanc febrem fieri ex concitata bile,per concitatā bilē intelligit turgentē, sed per habitum motā. Alia timemus, sicque decipitur.

d 4.*Aph.*10.
e *In comm.ad pas. c.de Ter.*

Talis est Tertiana exquisita in sua ultima qualitate aridisima, & calidisima.

40.41 Videtur Chimicus per Alembicum bilem in quintā essentiam destillādo mutare, at cum humor sit aliquā concedet, si Medicus consulatur humiditatem; Sed Galenus sic, idem de Bilibus statuas, nam est flava sicca, atra sicca,& terrena esse dicitur, cui tamen aliqua est humiditatis pars, alioquin humor non sit,ceterum durum corpus, ut adamas; hæc Galenus. At Patronus in se concludit, nā ut corpus aliquod prava corripiatur putredine,non aridum, sed humidum, est supponendum; ut jam jam dico.

Definit. hum.
1.*de natur. b. com.*40.

42 *Tertiana est morbus acutus ratione,& magnitudine sevientium symptomatum, sequitur sit, & posit ipsa esse nō minus periculosa, quam maligna.*

In eodem hæsitat luto, bene valet; Est morbus periculosus propter symptomatum malignitatem: ergo est magnus, non e contra: Est magnus, ergo periculosus. Tertiana enim secundum omnes est magnus morbus, & febris diaria secundum plurimos, utraque tamen ex se periculo caret.

43.44. *Demus etiam affectum illum extreme siccisimum,& aridisimum.*

Sem

Semper ut malus molendinarius pravam efficit farinam (exceptis locis vocis deterrimæ, quæ aliquis Latinus illi commodavit) hic vero pessimam, superlativo enim aliud addit superlativum, aridissimo, & siccissimo, quæ sunt unum nomine, addit extreme, nam ab extra præpositione; exterior, & extremum; sed ad rem: suo se miser gladio jugulavit toties (facit autem pluries, ut referre sit facile) asserit, probareque intendit ex eo bilem esse materiam febris Pestilentis in Tertiana, quod aridissima sit, innuit nimirum causas *b* putredinis ignorare, magisque in pestilentibus decantatas; Galenus non solum a Medico exposcit, ut sciat, quæ vulgus, sed supra, & jure, quomodo enim differre poterit Medicus, hic auté infra vulgus scit, siquidem nullus erit de plebe, qui non sciat, & fateatur, humiditatem esse matrem putrefactionis, ille vero ariditatem: in quem vere carmen convenit. h 4. *Metheo.*

Incidit in scyllam cupiens vitare Charybdin. *Virg.*

Præter id, quod experimur propter nostra peccata, scilicet status, & constitutionis *i* pluviosas, morborum pestilentium esse feraces, scriptæ sunt in monumentis Medicorum, circa quod nullus sanæ mentis dubitavit, brevi tamen perpendere oportet ex symptomatibus quem morbum refert Hippocrates in cōstitutione, sitque febris k (cui ex ejusdem doctrina extra pestilentem constitutionem, Pathonomonica insunt, ingētissimus calor, sitisque incompescibilis) de qua sic, febrium ardentium, quæ vigebant, hæc erat natura, initio comatosi erant, fastidiosi, inhorrescebantque, febris nō admodum acuta, nec sitibunda admodum, nec delyri. Confirmat Galenus, & postea ait; Nō est igitur mirum in corpore crudis collectis humoribus; ut excreta commostrarunt, &c. Sed hæc velle probare, est Solem obscurare; ex quibus colligo, in cassum, & contra se laborasse illum, qui invitis libris Medicorum, conatus est probare, ob id posse esse pestilentem Tertianam, quod extreme siccissimus, &c. *i* 2. *Epid. annus Austrinus, et ubique.* k 3. *Epide.* 3. 34. *Eodem lib.* 4. *comm.*

Sequitur necessario, sequatur virium resolutio. 44. 5. 6.

Quid siccitati spasmi ex inanitione, quæ ex *m* Mattheo gradi superat siccitatem Marasmi, cum siccitate Tertianæ, quid periculo ejusdem spasmi cum securitate Tertianæ exquisitæ, quid denique ex debilitate spasmi ex inanitione (immo cujuscumque speciei propter dolores, & vigilias) cum viribus Tertianarii? m 9. *ad Alm. c. proprio.*

Quid erit, quod in hoc tale judicium possit detinere, aut obviare. 47.

In *n* rigore judicari dicuntur ii morbi, in quibus tota materia ad unam criticam expulsionem servatur, quod in Intermittentibus non contingit, in quibus conveniat judicium cum accessione. 1. q. ex subtilis *o* Vallesii sententia adduxi. n *Aphor.* 23. *comm.* o 2 *Aph. cō.* 13

Sat est inquit, sit velut continua. Hoc est, aliquod continuitatis habeat. 48.

Vbi dixit? Galenus fabulas narrat. Hoc dissonat illius doctrinæ, & rationi.

Cum igitur Tertiana febris sit morbus acutus, & cum periculo. 49.

Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas: membra divisionis, ut ex *p* Summulis habemus, debēt inter se aliquam æqualitatem habere, id est: unum in altero non potest contineri; cum igitur magnitudo in essentia qualis est Tertianæ, distincta sit a magnitudine Caccoetiæ, ut constat ex *q* Galeno dicente: Debiles, & parvæ febres interdum valde malignæ existunt, & aliæ calidæ, atque incendentes, ut nonnunquam inde fastidio langueat stomachus, exæstuet, atque intolerabili siti crucietur: nihil tamen habent nonunquam periculosum, hinc fit, ut valeat bene: Est malignus, ergo megnus, nō e contra: Est magnus, ergo malignus, sicut non valet: Est animal, ergo est homo. *r* Superiora enim, &c. p c. *De divisione.* q 3. *cris. c.* 4. r *Porph. c. de specie.*

Lexicon Græcon vertit Caccoetiam pro malignitate, malo more, morositate, perversitate. 50.

Inde etiam constabit Tertianam non esse Caccoeticam, quia malignum proprie est malum *s* invincibile; at vincitur facile Tertiana, nec est mali moris, ut probavi; nec morosa, quia brevis; nec perversa, quia patens est, & cuivis perspecta. s *Gal. de bon. & malo succo initio, & fine.*

Vnde miror, quod quando ex Hippocrate vertisti alia genera, id est, alterius moris; debebas dicere, ejusdē moris. 51. 52.

Alius, alia, aliud, est relatiuum diversitatis, sic enim *t* Petrus Hispanus; Relativum diversitatis est, quod pro alio accipitur, quam suum antecedens; ut alius pater, alius filius: his puerilibus considerationibus, atque objectionibus ommissis breviter ex Hippocrate, ac Galeno manifeste deducam, textum illum nullam ferre explicationem, ac eam, quam proposui, ut iterum Deo gratiæ agantur, quia nonnulla abscondit a sapientibus, & revelat parvulis. Hippocrates ergo in statu illo Pestilēti sic scripsit; Ex qualibet specie morborum, quos recensuimus, complures ægrotabant, & moriebantur, Pestilētes fuisse morbos, qui vulgarentur, demonstrat: Hæc Galeni verba, in quibus Pestilentis morbi definitio cōtinetur: in qua vulgari, est genus, complures mori est differentia; itaque ubi salvatur isthæc duplex conditio, erit Pestis, nbi non deerit Pestis; si vero dicat Hippocrates, Vulgari hoc ad Epidemios, & securos refertur; ait ergo y Breviloqus vir, multa præterea febrium alia genera vulgabantur, Tertianarum, &c. Non addens; Et complures moriebantur, Epidemicos tetigisse, est manifestum; Si qua fides Galeno adhibenda est. Præterea si idem Hippocrates inferius dicat; Pauci moriebantur ex aqua inter cutem, si ergo pauci moriebantur, quomodo poterant morbi esse Pestilentes; referensque Hippocr. Tabem, & aquam inter cutem post Tertianas, Quartanas, &c. Nil aliud mihi insinuat, quam quod singulis annis, & si salutarissimis video, non paucos esse securis Tertianis ereptos, ob errores in tabē, & hydropem ex malo habitu, & atrophia perductos interire autumno, & hyeme; Sed ut credo multiplicatis intercessoribus, quæstio de Tertiana Pestilenti ad hydropem extenditur. t *Lib.* 2. *c. proprio.* 3. *Ep.* 3. *tx.* 21 *In com. Gal.* *Tx.* 64.

Graves, & sapientes appello Thomam a Veiga, Oddum de Oddis, Aquarium, Petrum Bayrum, & alios, minus miror Veigam profundissimum obiter Pestem cum febre intermittenti admittentem ex tx. Hippocratis, alios vero maxime, qui data opera, & grandibus de Peste editis hallucinantur tractatibus,

Sed sibilandus, qui ita audax fuit, ut virũ ab incunabulis studiosum provocavit, nec unicum pro sua opinione auctorem viderit, & adduxerit, quos (ut consoletur) allego; Nemo vero me magis auctores reverebitur cum ratione tamen, ut de Hippocrate, & Platone dixit Galenus.

53. 54. 55 *Non immerito igitur Galenus lib. de totius morbi temporibus, cap. 6.*

Qui audet scripta prælo committere, fideliter auctorem, librum, & caput allegare tenetur, quorum nihil hic adest: Imprimis Galeno imponitur, nam ille non dixit; Tertiana est omnium deterrima, sed semitertiana dixit; & quando codices id continerent, ex præcedentibus, & subsequentibus tollitur ambiguitas, liber vero nõ est de totius morbi tẽporibus, sed de morbi *a* tẽporibus: caput vero nõ 6. sed 5. est, quæ particulariter tetigi, ut fallacia detegatur. Sed pudet profecto, advertẽdum tamen omnia esse falsissima.

Lib. de morbi temp. c. 5.

56. 57. *Evincimus te, quando probamus: in Tertiana non deficere fuligines Pestilentes ad cor.*

Duo hic dicit; Primum, non deficere fuligines ad cor, ex quo vult esse continuam. Secundum, continuitatem fulginum ad cor: continuæ causam admittit, inferius impugnat.

Si diceret (evinco te) responderem illud dissertimi Galeni ad Thesalum; se ipso litigatore, se ipso agnotheta, se ipso judice; nunc vero quoniam ait (evincimus te) ansam præbet, ut interrogem, quotuplex sit, An Gerion, de quo Lucianus, virum tribus capitibus, senis manibus: idque esse cum tres amici copulantur, qui communiter omnia gerunt. Sed & si Proverbium asserat; Herculem adversus duos non valere (quod de paribus interpretandum venit) idẽ innumeros projecisse Pygmeos fertur, ut postea. Ut tamen discat, de quo diffido (studiosis enim, & disciplinabilibus opem ferre intendo) ut pote jam cano sine fundamentis, advertendum, quod in Tertiana Exquisita intermittenti non sua, ut ait, sed transposita ex Donato, sic loquendum, vel enim Logice, sicque est febris species, genere, & differentia constãs, genus in ea est intemperies calida, &c. Differentia est talis humor: genus est quid confusum, & indeterminatum (ut Patronus, qui alio Patrono indiget, ut determinetur) differentia contrahit illud; si vero Phisice, est compositum quoddam ex materia, & forma constans, materia unde genus, est calor præter naturam abstrahendo, quem bilis putrefacta extra venas omnino (hanc non semel dixi differentiam putridæ febris ex materia, continuæ oppositam) contrahit ad Tertianam; cum igitur circuitibus constet, circuitus vero accessione, & quiete; Iam absoluta Tertianæ febris accessione, illius materia penitus expurgatur, tum evaporatione fuliginosi, tum ex crassi excrementi evacuatione; alioquin non intermittens appellaretur, & esset. Sicque quietis tempore deficiente materia, ex qua elevẽtur fuligines (nisi ut doctus est, aliquam creationem, quæ non supponit materiam, concedat) fit, ut fatuum sit intentum adversus Philosophiam, & Galenum, qui dixit, ut optime solet, remanere vestigium febris: id est, calorem aliquem, non vero febrem, minus multo febrem putridam remanere. Quod probare tenebatur vel rationibus, vel ex Galeno, & aliis Medicis, non ut cumque sed putridam continuam: sed desperatus est, qui maximum portentum potuit concipere; Febrem unam, eandemque esse continuam, & intermittentẽ (quod hominis captum excedit) voluitque probare ex Gal. de quo dicere soleo, & optime.

Dialog. de Amicitia.

Non cuivis homini contingit adire Galenum.

58. 59. *Nostra tempestate Garrotillo, quæ ex mutata voce, & novo sono venditur, nunc ut nova infirmitas.*

Si legat *b* Iaquinum, æquo feret animo nomen, & postea audienda. Primo vulgus enim ait, cujus est plurima nomina imponere. Secundo Zoar Anginam intelligit; utrum vero Garrotillo sit Angina, sub judice lis est. Tertio ex comparatione obscurior est Tertiana Pestilens; Nam bonus vir vult ignotum, perignotius explicare.

b Ad Altiai. cap. 50.

Quilibet morbus, qui natura sua sit degener a Peste Pestilens efficitur, & ut Pestis finitur.

60 Incola Arascenæ quod oppidum, & Pestem, & Medicos fugere, testatur vetustas, venit Hispalim absoluta Peste, quia nihil videns e absente præsens, factus Medicus Pestis. Nauclerus ex libris asseruit; nullos esse alios Pestis tempore morbos; temerarius, & erroneus solum judicandus forsitam peregrinus deceptus est. Si qui vero sunt alii e præsentibus absentes facti, cum sensum negent, sensus pœna aliqua, & plagis digni sunt; sed istis declive est, Principem Medicorum Hippocratem, ejusque principium negare, quo universalissime docet; Morbi omnes quidem in omnibus temporibus fiunt, quidam vero magis in quibusdam ipsorum, & excitantur; & Galenum dicentem: Si aeris quidem ambientis temperatura sola esset morborum causa, & tunc nos quolibet tempore illos morbos pateremur, qui sunt affines temporum naturæ. Nunc vero cum ob errata, quæ in victu contingunt morbi fiant, omnes quidem in temporibus omnibus fiunt, plures vero, qui sunt unicuique tempori naturæ proximi.

61 *Omnia quidem in omnibus difficulter judicabantur.*

Vidistis natantem cum cortice in Occeano Donati Antonii de acutie Tertianæ, postquã vero suis brachiis nititur fundum petit, majus illi inest periculum quam Tertianæ Exquisitæ.

62 *Inquit ergo, omnes illas febres male, pestifere, & cum periculo fuisse judicatas.*

Quod ex auctoritate Valleriolæ a me non inventa, cui credo (ut & reliquis Auctoribus) imposuisse falsum. Illam explicationem non fert locus, accipat tamen ex Galeno adaptam, super celeberrimum Hippocratis locum. Decretoria non cernentia, aut lethalia, aut difficilis sunt juditii; quam sic alibi explicat ejus Comentator, lethalia quidem si qua iis symptomata, vel signa lethalia sunt; difficilis juditii, si absq; his signa permaneant crudorum humorum: en difficilis judicii commentum, ut enim *e* Brassavolus ait: Hipocratem ex Hippocrate, & Galeno: & Galenum ex Galeno interpretabimur; nullus enim est, qui mẽtem suam melius se ipso intelligat.

2. Epid.

1. Epid. 3. 18. Philis.

1. Aphor. in Psoemio.

63. 64. *Nec est, cur dicas ex Arculano, quia magna quantitas sanguinis in corde, aut prope cor reperiatur. &c.*

Quin

Quin immo Aristoteli asserenti venas etiam e corde oriri, non dissonat Arculanus; sed licet non oriantur, tum ex anathome id ita esse constat, tum ex *f* Galeni doctrina, primo sic. Sed quoniam multus sanguis per medium septum, & quæ in eo sunt foramina, in sinistrum ventriculum transsumitur. *g* Secundo docet, validissima tractrice pollere cor. *h* Tertio, synochas febres ex sanguine fieri, quibus locis verba *i* Avicenæ addit; Aer venit ad cor, quare corrumpit substātiam spiritus, & putrefit, quod circunstat ipsum; unde gravissimus vir ut plurimum synochos Pestilentes quandoque causones asserit; sed ut novā semper *k* Galeni auctoritatem adducendo, indies veritas nostra magis elucescat, hæc sit, qui invenis putrent humores, febrem accendunt; in illis solis dicebant, homines a febre molestari,& ipsum a febre haberi: in ipsis autem febrium scripsere differentias Epialon, Lypirien, Eloden, Typhoden, Pestilentem, & Ardorem, hæc Galenus, ex quo constat; An putrida Pestilens debeat esse continua. *f 6. de usu partium, c. 17.* *g Lib. de Maras, c. 5.* *h 9. meth. c. 4.* *i De febrib.* *k 7. Aph. com m. 43.*

Aristoteles, in pauca quantitate apprehendit tantum, ac in maxima. 65. 66.

In omni febre putrida multitudo sanguinis partim obstruēdo, partim quod calor nativus ipsam non possit gubernare, est causa illius, ut ex *l* Galeno constat, qui etiam, quæ corpora parata sint ad Pestem, & contraria docens est videndus; sed male præveniet corpora ad Pestem futuram. *l 1. de diff. feb. cap. 6.*

Quod si dicat, virtutem augeri aucta quantitate, minui autem minuta. *Cap. 7.*

Nemo hoc negabit, est enim principium Phisicum, quod intensio in effectu arguit intensionem in causa; & qualitas, seu virtus est veluti forma animans, & proportionata debet esse materiæ. 67. *Arist. princi.*

Pestem potius inveniri in qualitate aliqua citra quantitatem, quam cum ea credas, obsecro. 68. 69.

Credere spectat ad fidem, quam excludit verbum evidens, in *o* definitione sciētiæ; non enim dicimus, credere rationi, sed errorem hunc maximum,& sequentē nullus vir in scholis nutritus poterat proferre. Secundum sic impugno; Actus activorum sunt in patienti bene disposito, non enim recipitur forma nisi in materia bene disposita, sed vna ex certis dispositionibus, & præcipua est quantitas; ergo sicut reliquæ sunt determinatæ, ita & quantitas erit determinata. *o 1. post. c. 1.* *Ex D. Thom.*

Quanto extra eam, sic magnam virtus, seu qualitas non desinit esse Pestilens. 70.

Significat, quanto magis, magisque ingenium tendit, minus se intelligere Tertianam esse Pestilentem, ego tamē obscurissimum errorum aggregatum apperiam; Vult innuere, quod sicut *q* Logici concedūt, accidens posse per operationem intellectus esse sine substantia; ita similiter esse Tertianam per operationē intellectus, absque eo quod subsistat. *q Lib. præd. c. de Accid.*

Nec est etiam, cur dicas; extra vasa inveniri materias febrium intermittentium. 71.

Eadem ratione Medicinæ restaurator *r* Galenus (quem sequor) relictis Paradoxis, & possibilitate ampla, quæ sunt refugium insipientium,& asylum comprehensorum) probat materiam intermittentium esse extra vasa, sic. Nam in Tertianis cum vehementer moveatur humor, per singulas corporis partes disseminatur, quo fit; ut delationis impetu ipsa per se ipsam expurgetur, eadem causa est: cur febris ex sudoribus, atque vomitibus finiatur. *r 2. Cris. c. 3.*

Immo si esset sanguis, & pro sua quantitate faceret Pestem, sequatur, ut ablato eo inredundanter cessaret breviter Pestis, hoc tamen est ridiculum, & contra rationem. 72.

E lege Talionis, si hoc non probavero, plectar. Sin minus ipse ridiculus erit, nosque ridebimus, plangetque crimina sua, & aliena. Imprimis *s* Galenus, sive Oribasius sic,& sane dum Pestilentia vehemēs Asiā deprehendisset, meque etiam morbus attigisset, secunda morbi die remissione febris facta (obiter remissionem advertat) crus scarificavi, duasque fere sanguinis libras detraxi, hacque de causa periculum vitavi. Plerique igitur alii etiam hoc præsidio usi superstites evasere, erāt enim plenitudinis signa, illiq; præcipue salvabantur, qui sanguinem copiosum exhauriebant; hactenus Oribasius. Dicat hospes, quid Plautus de hac re senserit; quid Trebellius, Petrarcha, Livius, Cicero, & Tacitus scriptum reliquere. Secundo si in libris Methodi *t* Galeni de Pestilenti Bubone egit, usque ad animi deliquium mittit sanguinem. Hippocratis *v* vero primus Medicorum in Anaxione (qui Galeno teste maligna pleuritide laboravit) octavo venā in cubitu secuit, sanguis plurimus fluxit, qualē oportuit. Eodem *x* auctore; quibus rite,& largiter fluxit sanguis per nares, ea de causa maxime servabantur; quod *y* idē de mensibus apparentibus testatur: hanc partem ratione probavi, ubi experiētia constare dixi; jure ergo optime infero. *s De scarific.* *t 14. me. c. 10* *v 3. Epi. 3. ægroto. 8.* *x 3. Epi. 2. 36* *y 1. Ep. 2. 38.*

Parturient Mures, nascetur ridiculus Mons.

Mille alia secuntur absurda, e quibus est: quod non semper præsente sanguinis redundātia *z* sanguis est mittendus, nec ut mittatur expectāda est, nisi Menodoti Empyrici occultus est discipulus, adversus quē Galenus non raro. Præterea nisi juguletur febris statim, vel succumbat æger, ob id non erit sanguinis? Propter notitiam illius febris oportebit, ne sanguinem mittere? Vix tempus, atramētum,& papyrus sufficiant his expurgandis; nam si inconvenientium inconvenientia prosequi liceret, notabilis magnitudinis liber effici posset. 73. *z 4. met. 6 de phlebo. 11. 4. acut. 19.*

Nam febris Pestilens suum contrarium modum servat. 74.

Quem modum, omnia suo modo dicit, sed in intelligibili, sed cōtra pestilens generatur, ut reliquæ putridæ; ergo corrumpenda est sicut reliquæ; si morbi curatio (quæ actio quædam est,& contrario in contrarium) sit ejusdem morbi corruptio, quo circa insignissimus Philosophus, Medicorumq; maximus Galenus dicebat; neque enim aliud est ipsa sanatio, quā præsentis in corpore vitiosi affectus in habitum naturalem mutatio, & infra. Quoniam id, quod ægrotat ei, quod valet est contrarium utique per contraria est ab illo in hoc via; Sed me judice Ioubertus elegans Medicus sic ait; Fornelius venenatam qualitatem hujus febris definit, cujus vis, & pernicies est supra vulgaris putredinis cōditionem, aliquid scilicet occul- *Lib. de Peste, cap. 5.*

occultum denotans, at quum nihil putredine ipsa deterius, & vitæ adversarium magis tum animantium generi. tum plantarum, & omnium mixtorum naturæ, nihil est hic latentis conditionis supponẽdum, sed summa putredo, quæ hujus mali essentiam aperte continet; hæc valentissimus Gallus. Nostras vero Franciscus Vallesius Fernelium totum Divinum appellat, attamen omnibus melius melior omnium Galenus

3. de præsag. sic; Eorũ, qui nihil docẽt, duplex est institutũ, quidã ad proprietatẽ, quæ exprimi nequeat, cõfugiunt, &c.

Fallitur quidem Ioubertus, nam Galenus pro nobis cum sit, ait; Testibus inflammatis febres accendi.

75. Adversus Aquilam Scarabeus. Doctissimus vir adduxit Galeni doctrinam, quæ hujus veritatis est basis, &

4. Aph. 42. fundamentum, videlicet quod febris orta ex inflammatione, vel ex maligna putredine debet esse continua. Sed testudo non curat muscas.

77. 7. 8. *Quasi dicat; Corpus nostrum esse unum, non compactum (sed ut advertit Scaliger de subtilitate ad Cardanum exercitatione 9.) conjunctione continua.*

b *Exercit. 9.* Maximus vir Scaliger loco *b* citato sic ait, corpus enim nostrũ unum est, nõ cõtactu, sed conjunctione continua, legit ille, nõ cõpactum, est ne dicendus nescire legere? aut falsa allegare, videat tamẽ, ut discat

c *Iob. lib. uni.* legere, quia impietatem insinuat, corpus nostrum non compactum asseverans: quia prophetica verba c

cap. 10. v. 11. Iob, immo Spiritus Sancti negat dictantis; Pelle, & carnibus vestiisti me, ossibus, & nervis cõpegisti me. Sed formationum ignorantia illum expurgat.

79. *Demus, quod materia biliosa in intermittentibus extravenetur, & non exaletur.*

d *De præsag.* Falsa semper supponit, nã excremẽtum illud fuliginosum *d* est, cutis fistulata unde nullũ est impedimẽtũ.

expuls. *Et partes recipientes talem succum esse fortes, ut possint intravenare.*

80. Cum cutis nullam habeat actionem, parsque sit extrema, *e* cogitur recipere.

Et causa sit maligna, vel Pestilens.

e *Lib. de met. cap. 6.* Scilicet hoc restabat, denique hic supponit, ut videatur attingere Tertianam Pestilentem, illic credit vana fide, nusquam tentat probare, quorsum tot ambages, convenit illi, quod de impertinenti illo Posthu-

81. mo advocato, carminibus acutus Martialis celebravit.

Non de vi, nec cæde, neque veneno,
Sed lis est mihi de tribus capellis,
Vicini quæror has abesse furto.
Hoc judex sibi postulat probari.
Tu Cannas, Mithridaticumque bellum,
Et perjuria Punici furoris
Magna voce sonas, manuque tota
Iam dic de Tertianis Sylvane Pestiferis.

82. *Fieri non potest, ut abunde calidum, siccumque corpus, cum febricitet, viribus sit valentibus.*

Bene, ut solet, ait Galenus. Sed quorsum? nihil ex Galeno de Tertianis Pestilentibus, nec de cõtinuis? Respondet, se solum agere de Tertianæ acutie, iterumque ad eam redire est animus.

83. *Et cum hoc toto addamus aliquid maligni, quid Plegmones vicem gerat.*

Negotium facessit, quid sibi velit; Malignum phlegmones vicem gerere, difficilis locus iste; at at rem te-

4. Aph. 43. neo, vult quod ex inflammatione oriantur febres continuæ, quales sunt pestilentes.

84. *Me Hercule ita erit.*

In Epist. Quia ter per Herculem juravit, sciat Divum Hieronymum, & omnes sacros Doctores id prohibere in Christianis.

85. *Nec valet ex Galeno, ubi salvando illum, quod ex Tertiana non vidit unum, aut duos.*

Galenus non me indiget salvatore, nec quid dixerim, intellexit; legat iterum, & videat locum a me addu-

3. Cris. 9. ctum (quo videtur respirare) potius de Tertianis continuis, quam de intermittentibus esse.

86. *Nam sufficit, unum vidisse Galenum mori.*

In responsione ad assertiones, quomodo hæc se habeant, dixi, quæ hic repetere lectori molestum judico;

3. de præsag. expul. c. 4. unicum tamen adducam ex *i* Galeno locum, ut veritas indies magis luceat: e quo Pestem non conservari in unico individuo, & Pestilentem febrem esse sine Peste, constet. Sciendum tamen inquit, nonunquã incidere sine Peste has ipsas febres, ut de ipsis prodidere omnes insigniores Medici, vocantque Pestilentes; hæc Galenus. Erit ne, qui de cætero audeat loqui? sed ignorãtia nihil audacius, quis tamen adeo est stupidus, dum modo Medicinam a limine salutaverit, qui nesciat moris esse, ad stabiliendam aliquam veram sententiam, oppositam primo impugnandam, more agentis naturalis corrumpendam, sicque propriam introductam, auctoritatibus, & rationibus confirmandam, comprobandamque. Quod cum non inceperit, nec respondisse credo meis scriptis; quam ob rem veritatis tutella (ut dixi) scribo, obiterque errores in Auctores commissos corrigo.

Imprimis causa continuæ febris non est Delatio fuliginum ad cor.

87. In eadem, quam vidit, nec suum laborem cohibere potuit (ex quo quam curta suppellex illi esset, statim conjeci; siquidem plene ejus objectiunculis satisfeceram) hæc magis aperiuntur, non enim do id in Pestilentibus, quando cor, vel in eo contenta primo, & continuo in Pestilentibus febribus afficiuntur, in aliis vero continuis maxime, vel quia continuo fluentes ex aliqua parte continuo cor attrahit, vel quia cõtinue creatos facultas foci putredinis continuo expellat, vel ob utramque causam. Quod & in exteriori,

k *Gal. de usu part.* majorique mundo videmus, in camino inquam fuligines, & vapores prunarum feruntur; quod etiã posse sic cõtingere in minori mundo non implicat, nec credẽdum, in vanum veteres cor *k* caminum appellasse.

Ex

Ex Domino Fulginato potest dari certa portio bilis in corde putrefacta, & est possibile, faciat febrem malignam. 88.
Concedo antecedens. Unde infertur, ergo febris Pestilens est continua, sed totus est, ut dixi, in tractatione de febre Tertiana; cujus occasione nonnihil de continua.

Nec est alterum minus inconveniens, quod datur ex tua continuitate fuliginum, & daretur Ephemera simul. 89. 90.
Pape, omnes docti libentissime id admittunt, diariam esse simul cum putrida, cumque hectica putridā, complicationesque febrium plurimis in locis docet Galenus. 2.Cris.

Vel maxima cum difficultate curantur, sed contrarium videmus. 91.
Quod febres continuæ difficiles sint, ac periculosæ dictum est ex Galeno, statimque dicendum, propter varietatē tamen delectantem audiamus m Trall. qui sic ait; Febres continentes solerti diligentia curari debent, subitoque id faciendum, quod indicatio dictaverit, sive sanguinis missionem, sive purgationem requirant, &c. m Lib.12. de curat.feb.cō.

Tertiana Exquisita quam sit periculosa, patet. 92.
Tertianam Exquisitam non esse periculosam, ex iis, quæ docentur ex methodo, ostendam. n Galenus enim indicatione ab affectu sumpta, alterantibus contentus Tertianæ exquisitæ medetur, dicitque; tanquam id longe commodius sit, quam quovis modo evacuare, & usque in hodiernam diem dubitatur, num in exquisita Tertiana sanguis detrahendus sit (quod non sic proponitur in o notha, nimirum quia accedit ad cōtinuam) nam cum p eodem teste sanguinis missio non solum ob redundantiā humorum, sed ob morbi vim adhibetur: vim inquam, vel periculum, quorum neutrum adest Exquisitis; hinc est, ut venæ sectionē his non instituat. Accedens vero ad continuæ medellam (quam periculosam esse, constat) sic ait; Sāguinē vero mittere oportet ob morbi magnitudinem, id est, periculum; quam doctrinam accepit ab Auctore r quarti acutorum dicēte; In acutis morbis (quorum esse prorsus febres cōtinuas, Hippocrates docuerat) sanguinem mittes, si vehemens morbus videatur, id est magnus periculosus; nōn contentus acutie. Unde iterum Galanus; Et Anginæ, aut Perihneumoniæ, pleuritidis, aut alterius acuti, gravisque morbi periculum incumbat. Ex dictis constat, verum vero consonare, falso autem nihil. n 1. ad Glau. cap.9. o Cap.10. p 4.met. c.6. Cap.13. r 4. acut.19. 1. acut.tx. 8. De Phl.c.13.

Bilem illam formantem maxime esse aridissimam. 93. 94.
Pergit in erroribus Grammaticam concernentibus, nec minus in Artem Medicam, errat inquam pluribus in locis, in quibus constituit extremam ariditatem cum febre ardēte, quæ sunt ultimæ, & simultaneę dispositiones, ut introducatur convulsio ex inanitione, cogitur reddere rationem, quare non accidit. 2. Aphor. 26. comm.

Adversus Lycum hujusmodi febres siccas vocat ipse Galenns.
x Galenus sic ait, quin etiam febrium ipsarum quædam exactæ siccæ habentur sicuti exquisiti ardores, & statim hoc explicans ait: Siccas e diverso (nam opponit Elodi, & Thyphodi. quæ continuæ sint, ut jam dixi) eas voco, in quibus sitis urget uehemens, ac scabra visitur lingua, durataque tanquam corium cutis, plurimusque in nniverso corpore squallor: hæc Galeuus. Sed profecto nihil est in hac miscellanea, quod non sit falsum. 95. x Lib. adversus Ly.c.2.

Per talia extrema incipit Galenus suam exquisitam curationem. 96.
Si peccato, vel recessu existente per tres gradus in aliis morbis a Tertiana exquisita, incipienda esset curatio medicamētis uno, aut duobus gradibus, non vero ab y æqualibus contreriis, sicut etiam in Tertiana, & in quavis intemperatura esset tollerandum multiloquium, non a levioribus inchoādum, & reliqua; calumniam tamen non fugit, videtur enim, illam alterationem facere magnum remedium, cumque dicit Galenus; a levioribus, magna post licere insinuat. Contrariis æqualib. lib.artis M.c.87.

Cum non dicat Galenus; in aliis morbis inveniri ultima ariditas, ut in Tertianis.
Quando Auctores timent Ariditatem, solidarum partium timent, si consumata sit, quia insanabilis. 97.

Galen. lib. de Constitutione Artis Medicæ. 10.met.c.10.
Idem est ille Galenus, ac a idem ibi docet, ac quæ explicans sententiam; Acutorum morborum non sunt omnino certæ prænuntiationes, aut salutis, aut mortis, quæ de periculosis est intelligenda, ut constat ex verbis Hippocratis. 98. a 2.Aph. 19.

Longe post atra Bilis, & Pituita. 99.
Cum non sit tenuior terra aqua, sic nec atra Bilis, aut Melancholica Pituita erit tenuior, sic sensus, sic etiam docuit b Galenus, nam crassissimum est excremētum melācholicum, tenuissimum vero serosum, atq; amborum in medio ipsum biliosum. b De usu par.

Igitur per quam possibile est in Tertianis febribus ex ignobilibus moventur sua bilis. 100.
Intetmittentem febrem non posse esse Pestilentem sic probo: Omnes, & solæ illæ febres sunt Pestilentes, quarum causa efficiens est Aer infectus, nullius intermittentis causa efficiens est Aer infectus, ergo nulla febris intermittens est Pestilens. Discursus est legitimus; major est vera, cum causa, & effectus sibi correspondeant ex Philosophia, eamque docuit Galenus dicens, In Pestilenti vero Aeris statu inspiratio plurimum est causa, &c. Minor patet, nam putredinis, & febris intermittētis omnis efficiens duplex dicitur, & creditur esse incipiens quidem intemperies foci putredinis, ubi incipit transmutari humor, qui aequisita acrimonia irritat, sicque extra venas, & in habitum propellitur, ubi omnino putrescit: ergo intentum, & confirmatur; Aer infectus non potest attingere humores extra arterias, & venas: ergo non potest efficere Pestilentem Intermittentem; consequentia est bona, antecedens probo. Omnis enim actio teste e Philosopho debet fieri per contactum, ergo & Aeris actio, sed Aer infectus solos attingit hnmores in venis, & arteriis contentos, quod sepius ex Avicennæ decreto, & omnium Medicorum asserentium; Aerem venire ad cor, & putrefacere quod circundat ipsum: ergo sequitur non posse dari Pestilentē Iutermittentem. 1. de diff.feb. cap.7. Pered.cap. de Tertian. exq. e Ar. princi. De feb.Pestil.

Si quis dixerit, Aerem non solum per os, & nares spirari, sed & transpiratione, seu perspiratione a Medicis appellata.

Huic respondeo, verissimam esse totius corporis transpirationem; quomodo vero hæc fiat, apertissime docet, qui omnia dixit Galenus per hæc elegãtissima verba. Sed clarioris doctrinæ gratia animo concipe fabrilem follem trahentem ad se Aerem admodum calidum, & mox, nam in omnibus arteriis per multa foramina spirantibus, permixta est Aerea substantia sanguini, ac nihilominus in ipso corde, ut quæ per omnes eas confluat: hæc Galenus. Ex quo constat, per poros corporis cor in oscilla arteriarum, & venarum (quæ sunt Aeris canalis, & ductus) attrahere Aerem illum infectum, qui invento intra venas apparatu (de quo est controversia) Pestilentem continuã efficit. At humor in intermittentibus (ut modo dicebamus) omnino putrescit extra venas, ad quas tantum abest, ut Aer accedat, ut propter Aeris absentiam in habitu putrescat humor, qui in foco incepit alterari, non enim ventilantur partes illæ, quod ex simili inflammatione ex *b* Galeno comprobatur dicente: Inflamatæ quoq; particulæ putredinis causa accẽdunt febres, stipatum enim in ipsis quod influxit, quãdo calidum fuerit, quia nõ bene diflatur, putrescit.

a lib. de diff. feb. cap. 1.

b 1. de dif. c. 6

Denique Aer infectus ingrediens, vel invenit apparatum, vel nõ, citra apparatum nihil effici posse omnibus est in confesso. Si adsit, appræhendit humores invenis contentos, quos si semel apprehenderit (non enim in continuis, vel pestilentibus, vel non pestilentibus intereunt) cum cotinua sit, vel enecando, vel valente natura hostem propulsare, liberabitur ægrotans, quæ veritas cum jam ad sensum pateat, quid faciendum, plangendum, an ridendum, neutrum profecto, sed cum Galeno dicendum. At nemo est, qui sententiam mutare vellit, sed ut luctæ prorsus imperiti non advertunt, se terrã dorso tangere, quod dejectoris sui cervicem teneant, atque ideo ipsum surgere, non permittunt, sic & isti faciunt, qui cum ignari sint errorum, qui in rationibus committi solent, nos discere non permittunt, sed inanes quosdam tricas complicant, & quocumque vis modo verba nectunt, quoad aliquis exosus impudentiam, & ruditatẽ eorum, nolentes cedere dirimat: hactenus Galenus. Ex correctione & debilissimum fuisse Patronum, nõ minus verissimum esse Aristotelem constat docentẽ, quod parvus error in principio fit maximus in fine.

Ar. & Gal.

Lib. an sang. cap. 5.

Sed ut jam receptui canam, ingenue fateor, multos ante, in, & post Pestem a Tartianis obisse non exquisitis, nec pestilentibus, immo vero nothis, cum malis accidentibus, quorum Cathalogum docuit Galenus, dum iis medetur, qualiter vero enecent, per hæç *m* verba. Sic quidẽ in particularium accessionum declinationibus moriuntur sine crisi, in principiis vero quia natura de repente intro rapitur veluti suffocata, atque extincta natura, non aliter quam si lignorum viridium accervum in flammas conjicias. & statim; tres igitur sunt omnes mortis modi iis magnis inflammationibus, quæ membra occupant principalia plurimum contingit, vel ob humorum multitudinem, crassitudinem, &c. Quod idem *n* explicans dicebat, sed & in principiis febrium non paucarum advenit (videlicet animi deliquium) & tũc præsertim cum supramodum aut siccum, aut squalidum, aut plenum immoderate corpus extiterit; hæc Galenus. In cujus veritatis confirmatione tantum incensum adducam quosdam, qui nimirum sic obierunt, videlicet Pedro Cavallero de Illescas; & Iuan Alonso Maluenda Prætores Hispalenses; & Fernando Vallejo, y Pedro de Cabrera Padilla Nobiles, & divites, quos ob tales, & notissimos, aliis innumeris omissis, refero, quos habitus plenioris frigidosque, ac senes omnes sciunt, adeo ut experientia eventuum præstantissimi Medici hodie etiam sanguinem mittere reformident, ne videlicet refrigerẽtur; quantum autem inter has Tertianas, & pestilentes febres interfit divino auxilio adjutus aliqualiter tetigisse credo. Quantũm vero distet medela, & cura (quæ est hujus disputationis utilitas) continuarum ab intermittentibus, periculosarum a non periculosis, pestilentium a non pestilentibus febribus, mea probatione haud indiget.

m 3. Crisi. 9.

n 1. ad Glau. citat.

¶ *In eos, qui supra vires quicquam audent.*

Dum dormit, dulci recreat dum corpora somno
Subpicea, & clavam, cæteraque arma tenet,
Alciden Pigmea manus prosternere letho
Posse putat, vires non bene docta suas.
Excitus ipse velut pulices sic proterit hostem,
Et sævi implicitum pelle leonis agit.

Andreas Alciat. Emb. 70.

Cum fortiori non est congrediendum.

L. D. O. M.

En Sevilla por Clemente Hidalgo con Licencia.